

Author: Bannius, Ioannes Albertus

Title: Illustrissimo Domino Ioanni Baptistae Donio Ioannes Albertus Bannius Salutem

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1r>-<1v>

[primo Giugno 1639 in marg.] Illustrissimo Domino Ioanni Baptistae Donio Ioannes Albertus Bannius Salutem [307 m.rec.]

[[Illustrissime Domine]]

[81. in marg. m.sec.] Pluribus benevolentiae tuae modis nodisque me obstrinxistj, quod Musicam meam manibus Reuerendi et Nobilissimi Domini, Francisci dela Torre Illustrissime Dominationi Tuae nuper oblatam benigne acceperis; et inter alia praeclara excellentium ingeniorum opera illam licet exiguam, auscultare dignatus fueris. Nec hoc solum, verum etiam (ut intellexi) alios omnimoda scientiarum, linguarum eruditione excellentissimos uiros [Mousikotatous], ad eam auscultandam inuitasti. Quorsum hoc? nisi ut me eorum notitia, et (quod voveo!) amicitia donares, felicioremque redderes. Tua eminentissima opera (quibus tristes illas tot saeculorum tenebras, Musicam non sine ingenti Christian<ae> Reipublicae iactura obfuscantes, depulisti) saepius obstupui dum catalogum ad me transmissum perspexi: unumque illud vehementer indoluit et in dies adhuc deploro, me proprio Marte ad Music<ae> Flexanimae uirtutem eruendam aliquid conantem, tam sero in tui notitiam devenisse. Mederis autem quam maxime malo meo, dum Illustrissimum virum Dominum Petrum della valla, Musicae ac Linguarum omnium etiam exoticarum peritissimum, mihi tam liberaliter insinuas: cujus modulationes Musicas intellexi rara virtute, ac praeclara eloquentia, selectiorem non solum superare concentum, verum etiam inter pretiosissima splendidissima Italiae cimmelia haberi. Nec his limitibus tu<a> clauditur in me munificentia; verum alterum adhuc excellentissimum musurgum, ac linguae graecae peritissimum Dominum Raphaelem N. Florentinum adjungis, cujus eruditionem, et famam, tuo sapientissimo calculo commendatam, omnes in pretio habent. Hos exiguum meorum conatum doctissimos censors, et Patronos, me nactum glorior. Quorum sapientiam, eruditionem, gloriamque ex omnimoda variarum disciplinarum [-<f.1v>-] <.>scientia, ac praesertim rara musicae intelligentia fu<l>gentem, etiam orbis noster adorat. Vestrae exactissimae censurae adjunctas cantiones Graeco, Italico, et Gallico idiomate loquentes, summo cum affecto subjicio: tum ut animi mei candorem in studio musi<cae> excolendo aperiam; tum ut admirabiles Eminentissimae Musicae <ves>trae foetus, licet immeritus, attamen illius studiosissimus, quando recipiam. Tibi vero Illustrissime Domine hoc palladium Musicae praesidium acceptum refero intimisque votis rogo, ut quem hactenus tam liberaliter in me collocasti affectum maiori deinceps increm<en>to confirmes. vale.

Harlemi, Kalendis Quintilibus M.DC.XXXIX.

Illustrissimae Dominationis Tuae

Servus

Ioannes Albertus Bannius